

EPISTULA LEONINA

CXII

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXI** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGIAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM DUODECIMAM (112) !

ARGUMENTA

1. MYTHI GRAECI (*Gustav Schwab*)

De laboribus VII, VIII, IX ab Hercule exanclatis.....04-09

2. DE MIRIS IMAGINIBUS IN ECCLESIA

LUTTERAE REGALIS (Königslutter) INVENTIS

(*AVENARIOLUS, i.e. Markus Häberle*).....10-14

3. DE VENATORE SAEVO FABULA (*Hoffmann/Bornemann*).....15-19

4. PAX COLUMBIANA (*Pablo Kangiser*).....20-23

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

*maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam
centesimam duodecimam.*

*Iterum retardata est editio Epistulae Leoninae laboribus scholaribus
exanclandis: corrigenda fuerunt opera discipulorum, notae scribendae.
Interdum schola similis mihi videtur stabulo Augiae, magister
quadamtenus Herculi. Habeas Leonem excusatum.*

*Praeter labores Herculeos hac in Epistolâ tractantur lagographiae
paradoxae, venator quidam saevus, pax Columbiana. Quaeris, istae res
quales sint? - Tolle lege laetare! Ceterum exopto tibi, ut tandem fruaris
diebus aestivis et recreabilibus.*

Pancraticê vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat


Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
die Dominico, 17. m. Iulii, a.2016**



**FAMA TENET SUMMAQUE DOMUM SIBI LEGIT IN ARCE,
 INNUMEROSQUE ADITUS AC MILLE FORAMINA TECTIS
 ADDIDIT, ET NULLIS INCLUSIT LIMINA PORTIS.**

OID. Met.XII 43-45.

Andreas Paul Weber (1893-1980) a.1943 et 1953 confecit hoc graphema,
 c.t. est FAMA (*Das Gerücht*).

Hoc graphema, cuius lineamentum praeparatorium Andreas Paul Weber confecerat a.1943, decem annis post edidit formâ lithographicâ, quadamtenus simile est gryllo. FAMA est Weberi opus illustrissimum et quodammodo artis Weberianae σφραγίς. Andreae Paulo Webero, de cuius sententiis politicis alii aliter sentiunt, exemplo fuerunt artifices, qui sunt *Alfred Kubin*, *James Ensor*, *Max Klinger*, necnon *Goya*. Ratione technicâ licet Weberum comparare cum *Honorato Daumiero* gryllographo Francogallo. Tamen Weber insignis est genere delineandi proprio et genuino. Qui potius vim attribuit argumento quam expressioni artificiali.

Weberi est arte narratoriâ et dramaticâ illustrare notiones abstractas. In imagine, quam supra vides, Andreas Paulus Weber notionem *Famae* exhibet animal serpenti simile, naso acuto et perspicillo caeco instructum. Corpus Famae obsitum est paribus oculorum innumeris. Quod animal oritur ex obscuris corporibus diffusis, quae scaturiunt ex fenestris domûs praealtae. Hôc animali monstruoso Andreas Paulus Weber illustrat id quod de famâ fit ipsissimum: eadem si quidem in mundum edita est, non iam potest sisti et aliquando tam potens fit, ut nemo est, quin eam caecus sequatur.

MYTHI GRAECORUM
A GUSTAVO SCHWAB SERMONE THEODISCO ENARRATI
A NICOLAO GROSS IN LATINUM CONVERSI

cap.46.



HERCULES TAURUM MINOUM DOMANS

Statua, quam a.1853 *August Kriesmann* zinco fuso confecit æneoque pigmento obduxit. Cuius statuae fusura a.1990, eius pigmentum a.2001 restauratum est. Eadem invenitur *Suerino* in urbe *Megalopoli-Pomeraniae* citerioris principali, in viridario castrensi insulae castellanae, iuxta viam *Lenneanam*.

Minos rex Cretensis deo Neptuno promiserat se ei immolaturum esse quodcumque primum e mari mergeretur; nam Minos contenderat se nullam bestiam possidēre, quae digna esset sacris tam altis. Itaque deus effecit, ut taurus e mari ascenderet eximiâ pulchritudine praeditus; rex autem aspectu huius bestiae formosissimae inductus est, ut eâdem clam bobus suis aggregatâ Neptuno alterum taurum victimam supponeret. Deus autem marinus istac de fraude iratus effecit, ut taurus furore affectus insulam Cretam vehementissimê

* *Suerīnum*, -i n. *Schwerin* – *Megalopoli-Pomerānia* citerior *Mecklenburg-Vorpommern* – viridārium castrense *Burggarten* – insula castellāna *Schloßinsel* – via *Lenneāna* – *Lennestraße*.

vastaret. Herculi autem mandatum est, ut exanclaret **laborem septimum** eo quod istum **taurum domaret et ad Eurystheum adduceret**. Hercules cum Minoem Cretensem advenisset et rogavisset, ut sibi permitteretur res proposita, ille sperans se defuncturum esse insulae corruptore haud parum laetatus est, immo ipse adiuvit Herculem bestiam saevientem captantem. Bos autem furens robore heroico tam vehementer domitus est, ut Hercules ad Peloponnesum vehens per totum iter marinum ab eo tamquam navigio gestaretur. Hôc labore exanclato Eurystheus erat contentus, sed bestiam, postquam paulisper cum delectatione aspectavit, liberavit. Taurus ubi primum ab imperio Herculis liberatus est, recidit in furorem suum priorem, per totam Lacedaemonem Arcadiumque vagatus trans Isthmum Marathonem Atticensem erravit ibique terram haud aliter vastavit quam antea in insula Creta. Postea Theseo demum id contigit, ut istum taurum tandem superaret.

Octavus labor Herculi a consobrino nunc mandatus est exanclandus: **Herculi Mycenae ferendae fuerunt equae Diomedis Thracis**. Qui erat filius Martis et rex Bistonum, gentis perquam bellicosae. Idem Diomedes possidebat equas, quae essent tam ferae et robustae, ut catenis ferreis alligarentur ad praesepia aenea. Earum pabulum non erat avena, sed advenae, quibus infeliciter acciderat, ut venirent in urbem istius regis, illis equis obicerentur, quae carnem humanam devorarent. Hercules cum advenissent, nihil antiquius sibi fuit quam custodes iuxta praesepis constitutos superare et regem immanem comprehendere et obicere equis sui ipsius. Hoc pabulo devorato bestiae factae sunt circures; Hercules eas egit ad litus marinum. At Bistones armati quia eum persecuti sunt, Hercules non potuit, quin conversus contra illos pugnaret. Equas tradidit custodiendas Abdero amasio suo comitique filio Mercurii. At Hercules cum abiisset, equae reciderunt in cupiditatem carnis humanae, ut Bistonibus fugatis Hercules reversus amicum suum inveniret ab equis dilaceratum. Defunctum autem lugens in eius honorem condidit urbem nomine Abderam.



HERCULES DOMAT EQUAS DIOMEDIS HOMINIVORAS

In recessu devoratur Abderos. A.1608 delineavit *Antonio Tempesta* Florentinus (1555-1630).

Deinde equas denuo domuit et cum iis feliciter pervenit ad Eurystheum. Idem equas consecravit Iunoni. Quarum proles per longum tempus producta est, immo Alexander rex Macedoniae progenie illarum equarum vectus est. Hôc labore exanclato Hercules unâ cum exercitu Iasonis vellus aureum allaturi navem inscendit iter in Colchidem facturus, de quo iam narravimus.

Heros post longum errorem reversus **expeditionem fecit in Amazones**, ut **periculum nonum** subiens balteum Hippolytae Amazonis afferret Eurystheo. Amazones, magna gens mulierum, regionem in Ponto circa flumen Thermodontem sitam incolens, nullum opus tractabat nisi virile. Quae liberos non educabant nisi sexus feminini. Amazones congregatae ad bella gerenda proficiscebantur. Hippolyte, earum regina, signum dignitatis regalis gerebat balteum supra dictum, quam dono acceperat ab ipso Marte deo belli. Hercules autem in nave collegit commilitones voluntarios ad expeditionem faciendam et variis rebus factis in Pontum Euxinum

invectus tandem pervenit ad ostium Thermodontis fluminis et portum Themiscyrae urbis Amazonum.



HERCULES ET HIPPOLYTE REGINA AMAZONUM

Sculpsit *Iohannes Scherpe* ca. a.1893. Quae sculptura invenitur Vindobonâ in urbe, in castello Castri aulici, in tractu Michaelis, latere boreo-occidentali.

Hic Herculi obvenit regina Amazonum. Aspectu herois magnifico regina valde commota cum audivisset, quem ad finem Hercules venisset, ei balteum pollicita est. At Iuno, adversaria Herculis inexpiabilis, forma Amazonis induta multitudini ceterarum immixta rumorem dissipavit peregrinum quendam abducere reginam.

Sine morâ equis ascensis omnes viragines in semideum impetum fecerunt in castris, quae ille ante urbem collocaverat. Amazones gregariae pugnaverunt cum herois bellatoribus, nobilissimae autem ipsi Herculi adversantes pugnam paraverunt graviorem. Prima Amazon cum illo pugnatura pernicitatis causa appellabatur Aëlla sive Sponsa Venti, sed Hercules ei esset adversarius etiam perniciosior, Aëlla non potuit, quin cederet; Hercules eam venti celeritate fugientem assecutus prostravit. Altera Amazon primo impetu facto cecidit, deinde Prothoë, tertia, quae septies duello superaverat. Post eam octo aliae devictae sunt, tres quoque, quae una cum Diana venari soliti alioquin venabulo semper destinatum icerant, sed nunc ab eodem aberraverunt et frustra sub scuta abditae sagittis herois percussae animas efflaverunt. Alcippa quoque cecidit, quae iuraverat se per totam vitam mansuram esse innuptam; ius iurandum servavit, sed vita non superavit. Melanippa quoque Amazonum duce fortissima capta omnes ceterae salutem petiverunt fuga rapidissima necnon Hippolyte regina Herculi balteum tradidit, ut iam ante proelium pollicita erat. Quo redimendi causa accepto Hercules dimisit Melanippam. Heros autem rediens in litore Troiano novum subiit periculum. Ibi Hesiona, filia Laomedontis, ad saxum alligata cuidam beluae monstruosae exposita erat devoranda. Nam Neptunus eius patri muros Troiae cum exstruxisset, mercedem non acceperat; itaque nunc immanis belua marina loca Troiae tam diu vastaverat, usque dum Laomedon desperatus illi offerret filiam propriam. Pater lamentans Herculem praetervehentem auxilio vocavit et promisit se filia servata Herculi daturum esse equos illos magnificos, quos pater suus a Iove dono accepisset. Hercules ad litus appulsus beluam exspectavit. Quae cum venisset rostroque raptim aperto hiavit virginem devoratura, Hercules in rostrum insiluit et omnia viscera beluae dissecuit necnon ex eadem necata escendit tamquam e receptaculo sicariorum. At cum Laomedon nunc quoque promisso non stetisset, Hercules minans avectus est.

* *
*



Ecce Hercules Hesionam a monstro liberans. Haec imago delineata est a *M. Baron*.
Edita est in libro, qui inscribitur: *Heathen mythology*, Londinii a.1842.

**LABORES SEPTIMUM OCTAVUM NONUM
AB HERCULE EXANCLATOS
A GUSTAVO SCHWAB THEODISCE ENARRATOS**



IN LATINUM CONVERTIT

NICOLAUS GROSS



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS.

ECHUS VOCES

Avenariolus Leoni Latino salutem

Quoniam alii linguarum antiquarum peritissimi tibi de rebus quibusdam iucundis ubicumque inventis scribere solent, ut eas in periodico hebdomadali tuo maxime laudabili atque libentissime accepto in publicum exponas, hodie tibi mandare cupio, quod heri Luterae Regali (*Königslutter*), in oppido Saxoniae inferioris prope Brunsvigam sito, inveni.

Illic est ecclesia nobilissima et summa arte Romanica exstructa, quam Lotharius III. imperator saeculo duodecimo curavit erigendam; cathedralis imperatoria (*Kaiserdome*) falso nominatur. Ille imperator media in nave centrali conditus est sepulcro monumentali.



Cuius ecclesiae apsis miris imaginibus ornata est; vides effigies bestiarum et hominum artificiosissime effictas. Maxime notabilis est ea pars imaginum, quae nomine *Jagdfries* appellatur. Ibi a venatoribus captantur lepores. Insolitum est id quod artifex finxit in parte media: Illic venator portat leporem fuste deligatum; sinistra autem parte duo lepores fune vinciunt venatorem humi iacentem. Quid artifex mira hac imagine significare voluerit, dicere nescio.



Valde iocosa et ingeniosa est argutia, qua ille artifex, qui et alibi nomine **Nicolai Veronensis** nobilis est, opus suum signavit. Muro inscripsit litteras directione inversa currentes hoc dicto:

„HOC OPVS EXIMIVM VARIO CELAMINE MIRUM SC[VLPSIT]

..., sed nomen eius non sequitur! Quomodo autem divinari potest?



Ille sculptor non solum arte sua praecelebat, sed etiam doctus erat Graecae linguae litterarumque. Ecce effigiem venatoris, qui leporem fuste devinctum aufert. Quae imago finem sententiae supra citatae continuo sequitur. In illa nomen sculptoris conditum est. Graece ΝΙΚΟΛΑΟΣ, ut tibi potissimum notum est, virum denotat, qui populum vincit vel etiam populo victoriam parit.

Iste venator autem non populum (λάον) vicit, sed leporem (λαγών). ΝΙΚΟΛΑΓΩΣ (Nikolagos) ergo est.

Vale.

Markus Häberle
Regierungspräsidium Tübingen
Friedrich-List-Gymnasium, Reutlingen

LEO LATINUS MARCO AVENARIOLO

SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

Magnas gratias, care Avenariole, tibi ago pro iis, quae scitê rettulisti de imaginibus ecclesiae Lutterae-regalensis¹ leporariis.

Mirabilem sanê memoras imaginem eiusdem ecclesiae, in qua *venator portat leporem fuste deligatum; sinistra autem parte duo lepores fune vincunt venatorem humi iacentem*. Nescio an liceat hanc imaginem appellare paradoxam. Quaeris, quid haec imago valeat, quidnam artifex spectatori eâdem dicere voluerit.

¹ **Königslutter**. Quoad nomen Latinum cfr Graesse/Benedict, *Orbis Latinus*, 2.ed., Berolini 1909, p.192, s.v. Luttera: »Luttera (regalis od. regia), Luthera, Lotheria regis, Liutherum, Luotrensis urbs, Königslutter, St., Braunschweig.« - Quoad formam adiectivi, q.e. "Lutterae-regalensis" cfr <https://edit.elte.hu/xmlui/handle/10831/23185?locale-attribute=en>: "Litterae fassionales et venditionales civitatis Albae-Regalensis" (Alba regalis est urbs Hungarica, cfr Graesse/Benedict, op.mem., p.8: Alba regalis, Stuhlweißenburg, St., Ungarn." cfr Wikipedia s.v. Székesfehérvár [ˈse:kɛʃfɛhe:rva:r]. – de etymologia nominis "Königslutter" (cfr Wikipedia s.v. Königslutter am Elm): "-lutter" est verbum vetustioris sermonis theodisci inferioris, i.q. neotheodisce "lauter", i.e. purus, limpidus, spectat ad rivum "Lutter", qui prope oppidum oritur e fonte forti. Saeculo quarto decimo exortum est nomen *Konnigesluttere*, quod spectat ad *Lotharium de Süpplingenburg*, qui primo rex, postea imperator, sepultus est in Lutterae regalis ecclesiâ imperiali.

In symbolâ Wikipedianâ, c.t. *Kaiserdom Königslutter*², invêni nonnulla verba, quae spectant ad paradoxon leporarium explicandum (in Latinum converti):

»**Zophorus** qui dicitur **venaticus**³ in pariete apsidis externo situs variê explicatur. Si scaenam mediam versus orientem directam aspexeris, quae inscribitur „Lepores venatorem vinciunt“, muginaberis et aestuans dubitabis, quidnam haec valeat. Plerique investigatores hanc scaenam textibus bibliae necnon antiquitatis exeuntis aetatisque mediaevalis nixi – e.g. nixi sunt scriptis patrum ecclesiasticorum vel *Physiologo* – dicunt valere victoriam boni de malo partam. At aliter iudicat [Jürgen Bernhard Kuck](#). Is sentit hōc zophoro leporario praeter scaenas venaticas sensu translato demonstrari hominem esse victimam diaboli. Imaginem leporum venatorem vincientium esse imaginem vexativam⁴, quae de industriâ illo loco sit ecclesiae imposita, pone quem altero in pariete muri, in apsidis parte internâ, sit altare«.

Zophoro leporario ecclesiae Lutterae-regalensis leviter tacto permittas ut addam duo exempla talis »lagographiae paradoxae« (sit venia verbo!) posteriora: unum est saeculi sexti decimi, alterum undevicesimi.

Aspectes, quaeso, xylographiam infra positam: quae est confecta a **Georgio Pencz** pictore, delineatore, chalcographo, qui natus est ca. a.1500, mortuus a.1550.

Quâ illustratur spiritus illius aetatis: Ecce lepores, qui venatorem eiusque canes captatos assant. Xylographus videtur optare, ut personae inter se permutentur dominantium et servientium. Simul hac imagine vituperatur crudelitas principum nobilium, quorum milites gregarii rusticos captos torquebant. Venator ex arbore suspensus tollitur. Lepus quidam protocollo inscribit, quale fiat tormentum. Ante eum mensae impositum est perspicillum iurisconsulti.

² [https://de.wikipedia.org/wiki/Kaiserdom_\(K%C3%B6nigslutter](https://de.wikipedia.org/wiki/Kaiserdom_(K%C3%B6nigslutter)

³ orig. *Jagdfries*. De verbo, q.e. zophoros cfr <https://de.wikipedia.org/wiki/Zophoros>: „Der **Zophoros** oder auch *Zôophoros* ist ein Begriff aus der [griechischen Sprache](#) (von ζῶον, *zôon* Lebewesen, Tier und φέρω, *phéro* tragen) und bezeichnet einen [Fries](#) zumeist an einem Tempel, der, mit (Fabel-)(Tier-)Figuren bemalt oder als [Relief](#) gestaltet, als eine Art Band über den Säulen um das ganze Gebäude läuft. Dieser Figurenfries ist ursprünglich ein Merkmal der attisch-ionischen Tempel. Er findet sich aber auch später, so bei einer Reihe von römischen Tempeln, noch immer in diesem Stil errichtet“. cfr VITRUV, De architectura 3,5,10; 4,1,2: zophorus, -i m.

⁴ imago vexativa, i.q. *Vexierbild*, cfr <https://de.wikipedia.org/wiki/Vexierbild>. vexativus, -a, -um: CAEL.AUR.de morbis acutis2,29,156. De morbis chronicis 3,4,63.



Georg Pencz, Lepores venatorem captum assant, xylographia (sec. H. Zschelletschky historicum artis figurativae haec imago est copia exemplo imaginis Pencz facta)

Alterum exemplum lagographiae paradoxae - contra ac illud crudele - est iocosum et puerile. Procul dubio idem iam novisti, care Avenariole: inest enim libro puerili illustrissimo, qui inscribitur **PETRULUS HIRUTUS** (vulgo «*Der Struwwelpeter*»). Paginis autem sequentibus invenies versiculos *Hoffmannii* originales ab *Eduardo Bornemann* in Latinum conversos. Tolle lege. Etsi iam noveris, laetaberis lectione iteratâ: Nam repetitio dicitur esse mater studiorum.

Haec hactenus. Gratias tibi ago pro relatione atque quaestione leporariâ nobis benignê propositâ. Utinam pergas, care Avenariole, Leoninas Epistulas ditificare symbolis tuis.

Pancraticê vale ! Medullitus te salutat LEO LATINUS.

DE VENATORE SAEVO FABULA

Scriptis Henricus Hoffmann, in Latinum convertit Eduardus Bornemann



**Venator saevus en recenti
Indutus veste praevirenti
Sclopetum tollit, peram captat
Et perspicilla naso aptat.
Per campos cito spatatur
Et necem lepori minatur.**


**Is autem foliis latebat
Et nil videntem illudebat.**



**Paulatim solis ardor crescit,
 sclopetum nimis ingravescit.
 Invitat ecce venatorem
 umbrosum gramen ad soporem.
 Quo viso lepus clam obrepit,
 stertentis iam sclopetum cepit,
 arreptis una perspicillis
 discedit passibus tranquillis.**



**Ipsius leporis en illa
aptata naso perspicilla.
In venatorem dirigit
sclopetum, is dum aufugit
et clamat: »Auxilio!
Auxilio mi misero !«**



**Advenit ad puteolum
venator nunc altissimum.
Timore captus insilit,
cum lepus globum conicit.**

**Fenestram iuxta considebat
illius uxor et sorbebat
caffaeum. Testa en contusa
»Vae«, clamat, »vae mihi!« confusa.
Sedebat casae proximus
clam leporis filiulus
in gramine. Huic fervidum
caffaeum spargit nasulum.
Clamavit: »Quis me sic adussit?«
manuque ligulam concussit.**

HEINRICH HOFFMANN (1809-1894): „*Die Geschichte vom Wilden Jäger*“ (De venatore saevo fabula). Qui vir fuit Germanus psychiater, poeta lyricus, auctor fabellarum puerilium, praesertim illius PETRULI HIRRUTI („*Struwwelpeter*“) illustrissimi, qui editus est Francofurti Moenani 1845. Eidem libro inest fabula, quae inscribitur De venatore saevo fabula. –

EDUARD BORNEMANN (1894-1976) Germanus palaeo-philologus et professor disciplinae didacticae linguae Graecae Latinaeque. Qui docuit Francofurto ad Moenum in urbe, in Universitate Iohannis Volfgangi de Goethe. In Latinum convertit Vilelmi Busch opusculum Maximiliani et Mauricii necnon Henrici Hoffmannii Petrulum HIRRUTUM.

Ecce titulus versionis Bornemannianae completus:

PETRULUS HIRRUTUS «Der Struwwelpeter» sive fabulae lepidae et picturae iocosae, quas invenit et depinxit Henricus Hoffmann doctor medicinae, picturas secundum Hoffmanni exemplar delineavit et lignis incidit Fridericus Kredel, versiculos in sermonem Latinum transtulit Eduardus Bornemann. Francofurti Moenani a.p.Chr.n. 1956, in Aedibus Rütten & Loening bibliopolarum, qui iam originarium Hoffmanni librum edendum curaverunt.



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS.

PACEM IN COLUMBIA COEPTAM ESSE

Abhinc fere annos sexaginta natio Columbiana violentiam armatam passa est; at anno 2106, die 23 mensis Iunii pax ut videtur tandem pervenit; qua igitur de causa bellum intestinum tam diu geri potuit? Vetus quidem est causa. Anno 1948 Bogota in urbe capite Columbiana, *Georgius Gaitán* advocatus egregius et notissimus, qui factionem politicam liberalem-sinistranam gerebat, die 9 mensis Aprilis paulo post meridiem in media urbe palam interfectus est; interfectus autem a turba primo sauciatus, deinde interfectus; eius cadaver per urbem tractatum; inde orti ubique tumultus, nam populus, qui Georgium Gaitán patronum suum aestimabat, in vias et plateas fecit magnos concursus, aliqua aedificia vehiculaque incendit, cum custodibus publicis acriter pugnavit; non solum in urbibus sed etiam in agris tumultus fiebant; latifundiorum domini, quod magnam rebellionem timuerunt, manus armatas, quae agros pacarent, suis sumptibus constituerunt; gubernationis quoque exercitus adfuit; agrestes tunc alii in urbes profugerunt alii arma in latifundiorum dominos sumpserunt; praedones quoque occasionem nacti pagos villasque rusticas populabantur; hi omnes saepe committebant facinora immania crudeliaque.

Ex eo tempore bellum intestinum nullo modo indictum a factionibus contrariis incohatum est; hae fuerunt Factio Conservativa, quae prope gubernium, et Factio Liberalis, quae prope copias sinistranas militabat; in tanto vero rerum discrimine Exercitus Nationalis contra manus armatas populares arma suscepit, nam hic illic agrestes, qui pro communistis steterant, arma quoque sustulerunt; deinde ab anno 1958 Factio liberalis et Factio conservativa factionem confirmarunt eo consilio, ut praeses rei publicae per quadriennium ab utraque factione alternative praesidentiam sumeret, reliqua munera publica quoque dividerent. Tamen coetus armati per agrum et silvas Amazonicas iam immoderati bellum gerere pergebant, agrosque populabantur et tot fuerunt milites gregales, ut organizationem fere militarem statuere cuperent.

Itaque Factiones Armatae Rebelles Columbianae (FARC¹) anno 1964 ab *Emmanuele Marulanda Vélez*, tromocratarum eorum seniore conditae sunt; huic verum nomen fuit *Petrus Antonius Marín*, dictus est etiam vernacule “*Tirofijo*”², natus anno 1930, et anno 2008 mortuus. Quadraginta fere annos Factio FARC agricolas adversantes interfecit, obsidium arreptorum ad milia septem ab anno 1964 cepit et, quantum putatur, sodalicium iniit cum drogopolis.

Pax tamen, quae his diebus celebratur, non subito advenit. Anno 2008 ineunte Factio FARC duas mulieres usque eo captivas³, *Hugone Chávez*⁴ mediatore, liberavit; haec igitur factio armata Praesidem Venetiolanum Hugonem Chávez magni fecerat; hic enim postulabat, ne Factiones Armatae Rebelles Columbianae referrentur in numerum tromocratarum, sed ut haberentur pro organizationibus, quae praedispositionem politicam molirentur; easdem Factiones dignas quoque esse observantia; etiam in Columbia fuit - et etiam nunc est - Exercitus Liberationis Nationalis (ELN), cuius membra totam Americam armis liberare cupiebant⁵.

Pax Columbiana nunc celebrata tamen sermocinationibus inter Gubernium et Factionem FARC (quae se quoque nominat Exercitum Populi) factis anno 2012 incohata est; quae sermocinationes et Habanae (in Cuba) et Osloae (in Norvegia) habitae sunt. Nunc vero anno 2016 pactum est, ut arma utrimque deponerentur ita ut neque Factioni FARC neque Exercitui Nationali liceret arma invicem capere; praeterea a Factione FARC Commissioni Internationali omnia intra 180 dies arma esse tradenda; huic Commissioni sub Ordinis N.U. conspectu rem esse gerendam. Multa etiam tractata sunt, e quibus praecipua videntur haec, de quibus iam ab anno 2012 in sermocinationibus agebatur:

*de lege agraria deque securitate alimentaria;

**de Factione FARC vitae civili rebusque oeconomicis socialibus politicis includenda;

¹ Hispanice: Fuerzas Armadas Revolucionarias de Colombia; Latine: Factiones Armatae Rebelles Columbianae.

² Quod nomen posset Latine reddi “Certus-ictus”, nam quo sclopetum collineabat ibi telum sive glandem inferebat.

³ Clara Rojas et Consolatio González; Clara vero Rojas puerum in captivitate peperit, cui nomen Emmanuelis, quem Factiones evellerant, et deinde in orphanotropheum urbanum miserunt; postea a matre feliciter recuperatus est.

⁴ Natus anno 1954, mortuus anno 2013.

⁵ Vide <http://www.eln-voces.com/>

***de agricultura licita in locum drogopolii supponenda deque multis aliis rebus;

Denique placuit hoc praeceptum ad reliquas sermocinationes agendas: nullum esse pactum, donec omnia pacta sint.

Nunc vero anno 2016 Praeses Reipublicae Columbianae *Iohannes Emmanuelis Santos* nuntiavit pactum cum Factione FARC perfectum esse, sed in instrumentis communicationis socialis textum integrum non inveniri; praeterea *Alvarus Uribe*, qui eiusdem Nationis Praeses rei publicae fuit (2002 – 2010) pactum vituperavit; huic priori praesidi Emmanueli Santos olim minister fuit; attamen *Álvarus Uribe*, cui minime placent ea quae cum Factione FARC pacta sunt, pacem laesam esse dicit, quod Factio FARC cum re publica consociata sit; hoc praemio, quod delinquentibus immerito detur, plura delicta effectum iri. Factionem – ait - ditissimam esse, sed tamen eos, qui ex animo atque corpore laesi sint atque sub Factione captivitatem et dolores passi sint, nullam compensationem accepturos esse; exercitumque rei publicae vel esse cohibitum vel eiusdem officarios in carcerem coniectos.

In retibus autem socialibus cives has afferre solent opiniones:

**Iohannem Emmanuelem Santos* patriae populoque Columbiano manifeste infidum fuisse; iustitiam enim negavisse, et sine iustitia veram pacem esse non posse;

**Factionem FARC in numerum drogopolarum praecipuorum referendam esse, tamen eius participes nullam poenam esse soluturos.

Ex altera parte sunt, qui putent *Alvarum Uribe* vituperantem erravisse; dicunt eum pactioni adversari, quod contiones ab eo saepe de re publica convocatae, Factione FARC pacata, incitamentum amiserint. Quidam et dixit: utinam Praeses *Santos* ne fiat alter *Gaitán*.



DE PACE IN COLUMBIA COEPTA

RETTULIT

PAULUS KANGISER

CHILIANUS PHILOGUS IACOBOPOLITANUS

(Santiago de Chile)

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,90 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,90 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandataelae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedocus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedocus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3-938905-28-	OBSIDIO SAGUNTI T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

		9							
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM DUODECIMAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

Die Dominico, 17. m.Iulii a.2016

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>